

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid IV.690-705

690 Ter sēsē attollēns cubitōque adnixa levāvit,
ter revolūta torō est oculīsque errantibus altō
quaesīvit caelō lūcem, ingemuitque repertā.

Tum Iūnō omnipotēns longum miserāta dolōrem
difficilēsque obitūs Īrim dēmīsīt Olympō

695 quae luctantem animam nexōsque resolveret artūs.

Nam quia nec fātō meritā nec morte perībat,
sed misera ante diem subitōque accēnsa furōre,
nōndum illī flaāum Prōserpina vertice crīnem
abstulerat Stygiōque caput damnāverat Orco.

700 Ergō Īris croceīs per caelum rōscida pennīs
mīlle trahēns variōs adversō sōle colōrēs
dēvolat et suprā caput adstitit. “Hunc ego Dītī
sacrum iussa ferō tēque istō corpore solvō”:

Sīc ait et dextrā crīnem secat, omnis et ūnā
705 dīlāpsus calor atque in ventōs vīta recessit.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid VI.1-13

Sīc fātur lacrimāns, classīque immittit habēnās

et tandem Euboicīs Cūmārum adlābitur ōrīs.

Obvertunt pelagō prōrās; tum dente tenācī

ancora fundābat nāvēs et lītora curvae

5 praetexunt puppēs. Iuvenum manus ēmicat ardēns

lītus in Hesperium; quaerit pars sēmina flammae

abstrūsa in vēnīs silicis, pars dēnsa ferārum

tēcta rapit silvās inventaque flūmina mōnstrat.

At pius Aenēās arcēs quibus altus Apollō

10 praesidet, horrendaeque procul sēcrēta Sibyllae,

antrum immāne, petit, magnum cui mentem animumque

Dēlius īspīrat vātēs, aperitque futūra.

Iam subeunt Triviae lūcōs atque aurea tēcta.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid VI.14-33

Daedalus, ut fāma est, fugiēns Mīnōia rēgna

- 15 praepetibus pennīs ausus sē crēdere caelō
īnsuētum per iter gelidās ēnāvit ad Arctōs,
Chalcidicāque levis tandem super adstitit arce.
Redditus hīs prīmum terrīs tibi, Phoebe, sacrāvit
rēmigium ālārū posuitque immānia templa.
- 20 In foribus lētum Androgeō; tum pendere poenās
Cecropidae iussī (miserum!) septēna quotannīs
corpora nātōrum; stat ductīs sortibus urna.
Contrā ēlāta marī respondet Cnōsia tellūs:
hīc crūdelis amor taurī suppostaque fūrtō
- 25 Pāsiphāe mixtumque genus prōlēsque biformis
Mīnōtaurus inest, Veneris monimenta nefandae,
hīc labor ille domūs et inextrīcābilis error;
magnum rēgīnae sed enim miserātus amōrem
Daedalus ipse dolōs tēctī ambāgēsque resolvit,
- 30 caeca regēns filō vestīgia. Tū quoque magnam
partem opere in tantō, sineret dolor, Īcare, habērēs.
Bis cōnātus erat cāsūs effingere in aurō,
bis patriae cecidēre manūs.

Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.

Aeneid VI.33-54

Quīn prōtinus omnia

perlegerent oculīs, nī iam praemissus Achātēs

35 adforet atque ūnā Phoebī Triviaeque sacerdos,

Dēiphobē Glaucī, fātur quae tālia rēgī:

“Nōn hoc ista sibī tempus spectācula poscit;

nunc grege dē intāctō septem mactāre iuencōs

praestiterit, totidem lēctās de mōre bidentēs.”

40 Tālibus adfāta Aenēān (nec sacra morantur

iussa virī) Teucrōs vocat alta in templa sacerdos.

Excīsum Euboicae latus ingēns rūpis in antrum,

quō lātī dūcunt aditūs centum, ōstia centum;

unde ruunt totidem vōcēs, respōnsa Sibyllae.

45 Ventum erat ad līmen, cum virgō “Poscere fāta

Tempus” ait; “deus, ecce, deus!” Cui tālia fantō

ante forēs subitō nōn voltus, nōn color ūnus,

nōn cōmptae mānsēre comae; sed pectus anhēlum,

et rabiē fera corda tument; maiorque vidērī,

50 nec mortāle sonāns, adflāta est nūmine quandō

iam propiōre deī. “Cessās in vōta precēsque,

Trōs” ait “Aenēā? Cessās? Neque enim ante dehīscit

attonitae magna ōra domūs.” Et tālia fāta

conticuit.